

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Salutem in Domino Jesu Christo.


CUM occasio se præfens offerat, qua Exc. tuæ dignissimæ grata & exoptata scribendo significare possim, nolui contra officium aliquid agere. In præfenti autem hoc habeo, quod D. D. Jacobus Andreae clementissimè impetrata venia ab Illustrissimo nostro Electore instinctu Electorissæ detentus, cras in publico templo ex cathedra declamabit, quod antehac non potuisset sperare. Dicit suo abitu Tubingenfes, Saxones autem accessu suo contristatos fuisse, nunc hos de abitu, illos de adventu suo lætari. Intellego, eum respondiisse Sturmio Latinè & Germanicè, sed exemplar nullum vidi. Quatriduum disputavit Witebergæ de persona Christi & de cœna Domini, quas theses ego legi, sed exemplar proprium non habeo. Accipimus etiam nuper exemplar Antisturmi alterius, quem recens edidit Dn. Doctor Ostander, qui certè dignè sese facit officium. Cum Illustrissimo nostro diligenter hoc egi, ut Ecclesiæ vestræ rationem haberet, ac serio aliquo scripto de injuria sibi illata per Lucianum vestrum, quereretur ad Senatum, quò is hostem illum communem Ecclesiæ compesceret. Ad quod ille respondit, sapius se de tua Exc. & de vestra Ecclesia cogitare, magisq; de vobis esse sollicitum, quam vos possitis sperare. Quia verò Electores reliqui, ad quos hoc idem negocium pertineat, & quibus hac de re scripserit, nihil adhuc responderint, expectaturum se adhuc aliquantisper. Si nil respondeant, se denuò scripturum, & nullo modo facturum, ut officio suo defuisse possit videri. Pro gratulatione, qua E. T. mihi promovendo omnia fausta precatur, gratiam habeo, licet tempus promotionis longè adhuc videatur abesse. Fiat voluntas DOMINI. Valeat Ex. V. cum omnibus suis quam felicissimè. Raptim Heidelbergæ, 14. Januarii, Anno 81.

R. Exc. Vestræ

observantiss.

Petrus Patiens.

Voluerunt & ipse Dn. D. Jacobus & D. D. Philippus, filius Exc. tuæ, scribere, sed vereor, ut id facere possint, ego certè urgeor.

*Salutem in Christo.*

Q UOD fœlix faustumque sit & Ecclesiæ & scholæ nostræ, ad meos nunc gratia & venia Electoris Saxonici redeo, valetudine non bene confirmata. Sed DEO laus,

laus, quod non penitus extinctus sum. Mitto etiam tibi scriptum germanicum, quod contra Sturmium Dreslæ adbravi. Latinum enim, ex quo translatum est, mittere non possum, quod ante meum discessum nondum impressum erat. Spero autem me intra paucos dies accepturum exemplum. Hoc vero postquam legeris, D.D. Ludovico Gremio exhibeas, quem propter summam nuncii festinationem propria Epistola salutare non potui. Et si opus erit, apud eundem me excules, quod ipso inconsulto hunc laborem susceperim. Spero autem, imo confido, me ei rem minimè ingratam fecisse. Et habebit ipse occasionem, dehortandi Sturmium ab hoc labore, quem exiguo cum honore nominis sui suscepit. Si ingratum non esse intellexero, curabo Tubingæ, latinè & germanicè quamplurima exempla Typis excudi, & ad vos perferri, ut vestri cives plebei sciant, cujusmodi vir sit & Religionis Christianæ propugnator Sturmus. Benè & feliciter vale. Raptim Heidelbergæ, 16. Januarii, 1581.

Uxori Tuæ honestissimæ, D. D. Erasmo filio & amicis omnibus reverenter salutem adscribo.

Tuissimum

Jacobus Andreæ, D.



XXXVI.

Quos perpeffa sit Ecclesia & schola vestra paroxifmos, ex D. M. Hulderici, filii tui, literis copiofe & eruditè scriptis, intellexi, idque non fine dolore. His accesserunt, quæ ex scriptis D. Jacobi Andreæ, & D. Pappi contra Sturmium mihi communicatis, cognovi. Ac re vera certamen, quod omitti ac finire dudum poterat, nisi essent, qui oleum, quod ajunt, camino adderent. Ad summum ergo fastigium perveniffe hic conflictus videtur & spes est, inventum iri rationes, quibus finis tandem imponatur conflictui, Pappiftis optatiffimo, qui hæc polemica avidiffimè comparant & legunt, nostrisque objiciunt mutuas criminationes. Quod nuper epifcopum nostrum Bafilienfem feciffè narrant, qui audierunt. Spero autem successuram declinationem huic morbo, ad extrema redacto & denique fanitatem post sanata vulnera. Heidelbergensis scholæ & Ecclesiæ statum tranquillum esse D. Philippus significavit, eoq; nuncio me vehementer refecit & recreavit. Opus providentiæ DEI fingulare arbitror, quod hæfitans Edo, ob suam potius intemperiem, quam dubiam confessionem dimiffus fit, idq; ab Academico ordine. Gaudeo, & D. Andreæm rebus in Saxonia feliciter confectis domum reversum. Porro quod de nostrorum cum civitatibus tribus confæderatis fcriptione ad vestrum Magistratum scribis, mihi planè ignotum hætenus fuit, five quod diffimularint nostri sponte, five quod,